Jahresbericht

über das

[Kön]igliche katholische St. Matthias-Gymnasiu[m]

zu Breslau

für das Schuljahr 1873—1874,

mit welchem

zur öffentlichen

Prüfung aller Klassen und zur Schlussfeier

am 13. 14. 15. August

ergebenst einladet

der Director des Gymnasiums

Dr. Ant. Jos. Reisacker.

Voran geht eine wissenschaftliche Abhandlung:

Imperatorum Julii Caesaris et Octaviani Augusti Divorum Vitas (pars prior) adumbravit Rob. Winkler.

Breslau,
Druck von Robert Nischkowsky.
1874.

Imperatorum Julii Caesaris et Octaviani Augusti Divorum Vitas

(pars prior)

adumbravit Rob. Winkler.

C. Julium Caesarem nobilissima et perantiqua Juliorum familiae genitum ab Anchise et Venere deducere genus Vellejus Paterculus adulans Augusteae domui inter omnes antiquissimos constare affirmat. Id equidem, nisi Caesar ipse atque ejus ex sorore nepos Octavianus stirpem Veneris, cujus genitricis templum consecrarant, se jactavissent, eademque fabula etiam apud Vergilium in Aeneide multum valeret, silentio praeteriissem, quia ejusmodi commercia deorum dearumve cum mortalibus ullo tempore habita fuisse hodie vix ac ne vix quidem credunt pueri.

Annum agens sextum decimum patrem amisit et duodeviginti annos natus dimissa Cossutia, quae praetextato desponsata fuerat, Corneliam Cinnae filiam duxit uxorem, adeoque diligebat eam, ut omnia pericula ab irascente Sulla dictatore subire mallet quam dimittere. De adolescente quam recte ille judicaverit, quandoque optimatium partibus exitio Caesarem futurum et multos ei Marios inesse pronuntians res confirmant postea gestae. In Corneliae locum mortuae Pompejam (cf. Plut. Caes. c. 9) duxit, mox vero propter laesam pudicitiam repudiavit. Praetor designatus propter largitiones nimias ingens aes alienum contraxit[1]), multitudini quae juvenem magno amore complectebatur, etiam magis placiturus, neque suspicio deerat, Catilinariae conjurationis eum si non socium, tamen conscium fuisse. Ex Hispania, quam propraetor administraverat, pacata non ita multo post redux triumphum petens et consulatum ambiens, quamvis optimatium factio adversaretur, a Crasso qui ab aere mille trecentorum talentorum obaerato, quum creditores propraetorem eum ab Hispania retinere conarentur, quingenta millia talentorum mutuum dederat, reliquamque summam eis spoponderat, et a Pompejo, quos inter se reconciliaverat sublevatus triumpho dimisso consul creatus est cum Bibulo. Accedebat etiam, quod magnam pacatae

[1]) Mommsen, Römische Geschichte III. p. 156: Die Menge ging mit der Demokratie gegen die Aristokratie um so bereitwilliger mit, als namentlich G. Cäsar sie bei guter Laune hielt durch die verschwenderische Pracht seiner Spiele, bei welchen alles Geräth, selbst die Käfige der wilden Bestien, aus massivem Silber erschien, und überhaupt durch eine Freigebigkeit, welche darum nur um so mehr fürstlich war, weil sie einzig auf Schuldenmachen beruhte; idem III. p. 193. Als Pompejus aus Asien zurückkam, war Cäsar wenig mehr gewesen, als was auch Catilina war, der Chef einer fast in einen complottirenden Club übergegangenen politischen Partei und ein bankerotter Mann. Seitdem aber hatte er nach verwalteter Prätur 692 die Statthalterschaft des jenseitigen Spanien übernommen, und dadurch Mittel gefunden, theils seiner Schulden sich zu entledigen, theils zu einer militairischen Stellung und einem militairischen Ruf den Grund zu legen.

provinciae laudem sibi paraverat, magnaque pecunia exacta et militibus, qui imperatorem eum pronunciarunt, praemia distribuit et ipse opulentus revertit. Mox inter Bibulum senatui ac nobilitati gratum et Caesarem popularem contentiones ortae sunt, eoque res deducta est, ut Bibulus reliquum consulatus sui tempus domi suae se teneret, Caesar solus rem publicam administraret, neque ulla senati ratione habita cum populo ageret. Quare nonnulli urbanorum, ut Suetonius c. 20 narrat, cum quid per jocum testandi gratia signarent, non Caesare et Bibulo, sed Julio et Caesare Consulibus, actum scriberent. Equitum atque multitudinis gratiam sibi partim comparaturus partim adaucturus agros pauperibus distribuit et agrum Campanum viginti milibus civium divisit, qui trium vel plurium liberorum patres essent, publicanos vero remissionem petentes tertia mercedum parte relevavit.

Caesar dignitatem comparare, Crassus augere, Pompejus [1]), qui rebus contra Mithridatem et piratas gestis, bis ἐξουσίαν μοναρχικήν nactus super utrumque eminebat, retinere cupientes inierunt potentiae societatem a Varrone τρικάρανον i. e. triceps monstrum appellatam, ejusque confirmandae causa Caesar Juliam filiam Pompejo collocat, ipse Pisonis filiam Calpurniam ducit uxorem, itaque socero et genero adjutoribus consulatu functus utramque Galliam cum Illyrico accepit, resque tanta admiratione dignas ibi gessit [2]), ut consulares aliique summae auctoritatis viri ipsum in Galliam cisalpinam quotannis proficisci solitum convenirent salutatum. In iis fuerunt etiam Pompejus atque Crassus, quorum opera ipsi in alterum quinquennium prorogatum est imperium. Duobus annis post, quum septimum annum Caesar in Galliis moraretur, eodem fere tempore, quo Aurelia mater Caesaris defuncta est, etiam filia Julia Pompeji uxor ac parvulus ejus filius Pompejus ea natus mortem obierunt amicitiae inter Caesarem et Pompejum pignora, neque non confestim suspicio orta est, fore ut, postquam tertius dominationis socius Crassus [3]) propter bellum cum Parthis gerendum, quod non minus gloriosum quam quaestuosum esse arbitratus erat, Syriam sortitus et hostium fines ingressus tantam pugnae cladem accepit, ut ex centum milibus militum suorum vix decem milia Syriam fuga petentes servarentur, ipse cum filio interficeretur, bellum civile exardesceret, quia Pompejus parem, Caesar superiorem non posse ferre videbantur. Metus non erat inanis. Nam Marcellus consul de Caesaris successione in senatu agebat, contradicentibus Sulpicio altero consule et nonnullis tribunis, in iis Curione, quem acerrimum olim adversarium Caesar ingenti pecunia in suas partes transduxerat [4]). Is Caesaris litteras in senatu recitandas

---

[1]) Vellejus Paterculus II. 31. Converterat Gn. Pompeji persona totum in se terrarum orbem et paene homine major habebatur. Aulus Gabinius tribunus legem tulit, ut Gn. Pompejus ad piratas opprimendos mitteretur, essetque imperium aequum in omnibus provinciis cum proconsulibus usque ad quinquagesimum miliarium a mari.

[2]) Plutarch. Caes. c. XV. πόλεις ὑπὲρ ὀκτακοσίας κατὰ κράτος εἷλεν, ἔθνη ἐχειρώσατο τριακόσια.

[3]) Mommsen III. p. 322. Unter den Häuptern des dreiköpfigen Ungeheuers war Marcus Crassus Jahre lang mitgerechnet worden, ohne eigentlich mitzuzählen. Cäsar gab in der Conferenz zu Luca seinem alten Verbündeten Crassus Gelegenheit, durch den Parthischen Krieg eben dahin in Syrien zu gelangen, wohin Caesar durch den keltischen in Gallien gelangt war. Es war schwer zu sagen, ob diese neuen Aussichten mehr den Heisshunger nach Golde reizten, der dem jetzt sechzigjährigen Manne zur Natur geworden war, oder mehr den in der Brust des Graukopfs lange mühsam niedergekämpften und jetzt mit unheimlichem Feuer in ihr glühenden Ehrgeiz.

[4]) Vellej. Paterculus II. 48. Hic primo pro Pompeji partibus, id est, ut tunc habebatur, pro republica, mox simulatione contra Pompejum et Caesarem, sed animo pro Caesare stetit; id gratis an accepto centies HS fecerit, ut accepimus, in medio relinquemus. Fusius de hac re et de Curione disserit Dio Cassius M. c. 58 sqq.

curat in hanc sententiam scriptas, ne sibi beneficium populi adimeretur, aut ut ceteri quoque imperatores imperio se abdicarent et exercitus dimitterent. Quae conditio quanquam justissima quum Catonis maxime auctoritate sperneretur, Caesar dominationis vel bello capiendae appetens, quantumvis licet dissimularet, bellandum esse ratus quum militum concione convocata, quae injuriae sibi inferrentur, exposuisset et illis, ne pateretur cohortatis Rubiconem transiit jactam esse aleam exclamans. In Italia omnibus Pompejanorum militum ducibus celeriter suppressis Caesar in urbem metu paene vacuam ingressus aerarium jussit effringi, consulem se fecit et priusquam in Graeciam trajiceret Pompejum prosecuturus, Antonio, quem Italiae Siciliae Sardiniae praefecerat, relicto Hispanias petiit, ubi exercitus, quibus Afranius et Petrejus legati Pompejani praeerant superati sese dediderunt. Trajecto deinde mari Adriatico Caesar ad Dyrrhachium superatus Thessaliam petivit, ibique in campo Pharsalico debellatum est. Pompejus accitis legionibus transmarinis, peditum equitumque auxiliis regumque et tetrarcharum civitatiumque copiis exercitum confecerat peditum quadraginta quinque milium, equitum septem milium, cujus tamen major pars vel non exercitata vel utpote Asiana immbellis erat, Caesaris contra milites non amplius viginti duo milia peditum, mille equites maxime Germani, quanquam numero inferiores tamen fortitudine et rei bellicae periti praestabant. Pompejus perinde atque Caesar lacessere aliquamdiu cunctabantur, quoad Pompeji signo dato confligeretur. Is autem, quanto minus dubitaverat, quin superior discessurus esset, tanto magis consternatus est, quum equites, in quibus magnam spem victoriae posuerat, effusis habenis in castra se proripientes conspicaretur, peditumque magnam partem eodem compulsam intelligeret. De prospero proelii eventu omnino jam desperans in Egyptum confugit. Pompejanorum viginti quinque milia, Caesarianorum mille ducenti cecidisse perhibentur. Cives captos, quibus parci jusserat Caesar, venia data suo exercitui adjunxit, ex consularibus et equitibus, qui jam ante contra ipsum arma gesserant, nonnullos familiaribus deprecantibus condonavit, alios interfici jussit, neque tanta erat Caesaris clementia, quantam Vellejus Paterculus[1]) eam praedicat.

Pompejus quanquam cum aliis locis tum maxime in Africa exercitus et classis sibi erant, Egyptum petiit, et prope Pelusium, ubi decimum tertium annum agens rex et frater contra exulem Cleopatram sororem exercitum constituerat, advectus per amicos eum de adventu suo certiorem fecit. Inscio, ut nonnulli narrant, rege Achillas militum dux cum Pothino eunucho atque aerarii praefecto Theodoti magistri regis consilium interficiendi Pompeji comprobantes Septimium olim militem ejus nunc transfugam cum quibusdam servis obviam miserunt salutatum regis nomine atque invitatum, ut, quia tenuitas majorem navem

Mommsen III. p. 347. Für die Verhandlungen mit dem Senat war es Caesar gelungen, vor Allem den Volkstribun Gajus Curio zu erkaufen, wahrscheinlich das eminenteste unter den vielen liederlichen Genies dieser Epoche; unübertroffen an vornehmer Eleganz, an fliessender und geistreicher Rede, an Intriguengeschick und an jener Thatkraft, welche bei energisch angelegten aber verlotterten Charakteren in den Pausen des Müssiggangs nur um so mächtiger sich regt, aber auch unübertroffen in wüster Wirthschaft, im Borgtalent — man schlug seine Schulden auf 4 Mill. Thaler an.

[1]) Vellej. Paterc. II. 52. Nihil illa victoria mirabilius, magnificentius clarius fuit, quando neminem nisi acie consumtum civem patria desideravit. Recte animadvertit Mommsen III. p. Auch Cäsar fand es nöthig, jetzt die Strenge walten zu lassen. Gegen die Leute besseren Standes wurden Geldbussen und Vermögensconfiscationen erkannt, die gefangenen Senatoren und namhaften Ritter erlitten mit wenigen Ausnahmen den Tod. Die Zeiten der unbedingten Gnade waren vorbei; je länger er währte, desto rücksichtsloser und unversöhnlicher waltete der Bürgerkrieg.

non sustineret, in ipsorum naviculam transcenderet. Miratus, cur neque rex neque alii nobiliore loco nati venissent, suspicionem sibi ortam versibus Sophocleis „ὅστις γὰρ ὡς τύραννον ἐμπορεύεται, κείνου 'στὶ δοῦλος, κἂν ἐλεύθερος μόλῃ“ declarans suis licet dissuadentibus obtemperat et parumper vectus fere in conspectu eorum trucidatur. Hic monente Vellejo II. 53: post tres consulatus et totidem triumphos domitumque terrarum orbem sanctissimi ac praestantissimi viri in id evecti, super quod ascendi non potest, duodesexagesimum annum agentis pridie [1]) natalem ipsius vitae fuit exitus. Cornelia ipsius post Crassi mortem uxor cum Sexto filio celeri fuga servantur, Sextus in Africam ad Gnaeum fratrem mittitur, mater securitate data Romam proficiscitur. Caesar in Asia comperto Pompejum Egyptum petiisse illuc secutus Alexandriae comiter excipitur, suavemque se incolis praebebat, quoad classis subsequens appelleret; tum vero Pothinum et Achillam curatores regis interfici, Cleopatram, quae ad pedes ejus procubuerat, restitui in regnum jussit [2]). Voluptatibus deditum et Cleopatrae maxime amantem, ut et convivia cum ea in primam lucem saepe protraheret et eadem nave Aethiopia tenus Egyptum penetraret, Pharnacis motus avocavit. Is enim Bosporano regno non contentus et paternum recuperari posse sperans Armeniam totam et Cappadociae complura oppida subjecerat atque Domitium legatum Caesaris devicerat. Cum vero comperisset, Asandrum, quem Bosporo praefecerat, rerum novarum esse cupidum, illuc reversurus Caesari contra eum profecto impetu ex itinere facto et paucis horis, vel ut cum Floro dicam, „more fulminis, quod uno eodemque momento venit, percussit, abscessit“ profligatur, ut Caesar hanc victoriam verbis „veni, vidi, vici“ senatui Romam nunciaret. Pharnaces, qui Mithridatem patrem interfecerat, meritas parricidii poenas non effugit, sed ex fuga Bosporum repetiturus ab Asandro interficitur. Rebus in Asia aliquatenus ordinatis Caesar in Graeciam inde in Italiam contendit, ubique magnas imperans atque exigens pecunias, quia persuasum ipsi erat, pecuniis non minus quam militibus opus esse ad imperia servanda et augenda. Romae ante adventum suum seditione ab Antonio praefecto sedata Caesar milites, quod promissa sibi non essent soluta tumultuantes non minore audacia quam arte mox sibi reconciliavit. Ita brevi tempore tumultu, quem Alexandrini odio adversus Cleopatram concitaverant, suppresso exercituque regis, qui in Nilo periit, superato, mox in Asia Pharnace suppresso et fugato, postremo Romae seditione militum sedata Caesar in Africam trajecit, ubi grave bellum eum excipiebat. Nam plerique optimatium, qui Pharsalico proelio fuga salutem suam expediverant, aliquamdiu dispersi atque ducem desiderantes inopes consilii mox Catonem, Labienum, Scipionem, Petrejum optimatium principes in Africam secuti erant, iisque Juba Numidarum rex se adjunxerat. Cato Uticam tenebat, Scipio, ad quem summa belli delata erat, apud Hadrumetum ancipite Marte contra Caesarem pugnavit, apud Thapsum vero tanta clade profligatus est, ut quinquaginta milia Pompeja-

---

[1]) Plutarch. Pompej. c. 79 paulo aliter „*ἑξήκοντα μὲν ἑνὸς δέοντος βεβιωκὼς ἔτη, μιᾷ δὲ ὕστερον* (postridie) *ἡμέρᾳ τῆς γενεθλίου τελευτήσας τὸν βίον.*“

[2]) Mommsen l. l. p. 418. Alexandria war eine Weltstadt so gut wie Rom, an Einwohnerzahl der italischen Hauptstadt schwerlich nachstehend, an rührigem Handelsgeist, an Handwerkergeschick, an Sinn für Wissenschaft und Kunst ihr weit überlegen; in der Bürgerschaft war ein reges nationales Selbstgefühl, und wenn kein politischer Sinn, doch ein unruhiger Geist, der sie ihre Strassenkrawalle so regelmässig und so herzhaft abhalten liess, wie heutzutage die pariser; man kann sich ihre Empfindung denken, als sie in der Residenz der Lagiden den römischen Feldherrn schalten und ihre Könige vor seinem Tribunal Recht nehmen sah.

narum partium nullo discrimine, cives an barbari essent, facto a Caesarianis militibus propter diuturnitatem bellorum iratis interficerentur. Scipio in fuga interceptus necem sibi conscivit, Juba et Petrejus mutuos se confoderunt, Cato clade Uticam nunciata, filium, ut fato et necessitati cedens in Caesaris potestatem se permitteret, hortatus gladio se transfixit.

In Urbem quum revertisset triumphos egit Alexandrinum, Ponticum, Africanum non de Scipione hunc, sed de Juba, et Gallicum. Triumphi autem ut gratiam Caesari conciliarent, tantum abfuit, ut invidiam facerent. Indignabundi enim qui intererant spectatores, Arsinoen Cleopatrae sororem conspexerunt in triumpho catenatam duci, triumphum de civibus in Africa devictis aegre ferebant, et multitudinem captivorum inter triumphum trucidandorum miserabantur. Triumphis actis Caesar milites suos multa pecunia donavit, populo ludos diversi generis magnificos et epulas viginti duobus milibus tricliniorum positis dedit. Censu deinde habito apparuit, quanta civium multitudo maximam partem bellis civilibus periisset; nam ex trecentis viginti milibus civium, qui ante bella civilia censi erant, nunc centum quinquaginta milia supererant in censum relata.

Postremo bellum etiam gravius Africano in Hispania contra Gnaeum et Sextum Pompejos Magni filios Caesari gerendum erat, undique adhuc paterni nominis magnitudinem sequentium ex toto orbe terrarum auxiliis confluentibus. In utroque exercitu et Hispani militabant et Mauri, quorum partem Bocchus filiorum ductu Pompejis auxilio miserat, partem Baguas ipse in castra Caesaris duxerat. His sociis celeriter fugatis et dispersis cives Caesaris cum Pompejorum civibus soli pugnabant, illi laborum ac miseriarum finiendarum causa et praemiorum spe commoti, Pompejani salutem non esse nisi in victoria positam rati. Acerrimum erat apud Mundam proelium, ubi Caesar, quum suos recedere videret, equo descendit, scutoque militis arrepto in primam aciem eo usque procurrit, ut decem tantum pedes ab hostibus distaret, militibusque denunciaret, vestigio se non recessurum, proinde viderent, quem et quo loco imperatorem deserturi forent. Expugnata tandem Munda bello ita vario et ancipiti, ut Caesar de morte sibi consciscenda cogitasse diceretur, finem dedit. Gnaeum Pompejum fugientem Didius [1]) interfecit, Sextus in Celtiberiam evasit.

Omnibus bellis gloriosissime finitis Caesar in Urbem rediit, et senatus honores, quot et quales nulli unquam ante dati erant, consulatum perpetuum, perpetuam et dictaturam et censuram atque tribuniciam potestatem, praenomen imperatoris, cognomen patris patriae, lauream, quam propter calvitiem et laetus accepit et semper gestabat, vestem triumphalem diebus festis induendam, appellationem mensis e suo nomine, quidquod templa, aras, simulacra juxta deos decrevit, praeterea pecuniae publicae atque rei militaris administrationem commisit, ut regiae potestati nihil deesset nisi nomen. Id cur desideraverit, fuerunt qui mirarentur, alii [2]) non vituperant neque injuria. At profecto mirum esse potest, quod vir

---

1) Florus IIII. 2: Cesonium interfecisse refert, Dio Cassius MG. c. 40 p. 317. Pompejum a Caesennio victum in silvam fugisse ibique periisse, Didium, dum quaerit illum, in hostes incidisse et cecidisse monet.

2) Seidel, Middetonis Historiae Romanae interpres tom. III, p. 271 haec bene monet „Sollte dieser grosse Geist nur nach einem leeren Titel gegeizt haben? Freilich hatte er alle Gewalt, aber wie? als Usurpator von der Faktion der Demokraten. Sollte Cäsar so wenig für die Zukunft gesorgt haben, wie Sylla? Wie, wenn dieser erhabene Geist es einsah, dass die Republik in der Monarchie oder Despotie ersterben musste? Wie, wenn er die wohlthätige Absicht hatte, diesen Tod der Republik durch seine Staatsklugheit zu erleichtern, und dem Volke eine neue festere monarchische Constitution abzugewinnen. Gewiss, Cäsar wurde zu

moderatione et prudentia praeclarus jam non poterat sibi temperare, quin complura committeret, quae invidiam omnino non evitabilem etiam auxerunt. Cleopatram Romanis odiosam in Urbem accitam Caesar domi suae splendidissime hospitio excepit et maximis honoribus praemiisque auctam remisit, filium ea natum appellari suo nomine passus est, ut fama percrebesceret, migraturum Alexandriam translatis simul opibus imperii, exhaustaque Italia delectibus et procuratione urbis amicis commissa. Adeuntes se cum plurimis honorificentissimis, quae commemoravi, decretis universos senatores sedens pro templo Veneris excepit, odio et contemptione adulationis senatoriae, si quid video, permotus. Consulatus dignitatem data opera in contemptum adducturus in menses, nonnunquam in dies substituebat sibi consules, alios magistratus contra morem rei publicae in plures annos constituebat. Accedit, quod quum Lupercalia festum licentiae medio fere Februario celebratum, Caesar spectaret, Antonius ei diadema imponere [1]) conatus est, neque diu post rumor efferebatur, Parthos, contra quos cladem Crassianam ulturus Caesar expeditionem suscipere cogitabat, nisi a rege non posse superari. His rebus factum est, ut sexaginta fere viri senatorii et equestris ordinis, quorum praecipui fuerunt Brutus et Cassius praetores, ille Porciae Catonis sororis, hic Bruti sororis conjux stulta spe servandae rei publicae in Caesarem conjurarent, caedemque non esse differendam rati Idibus Martiis eum sexto et quinquagesimo aetatis anno tanquam amici circumstantes tribus et viginti vulneribus confoderent. Ita tanto viro non plus quinque mensium principalis quies contigit, quum Octobri mense in Urbem revertisset, et omnes eo tempore decreti honores congesti sunt in Caesarem velut infulae in destinatam morti victimam.

Quanquam Caesarem summum totius antiquitatis imperatorem et amplissimae civitatis bene constituendae ac moderandae peritissimum virum et propter eximias animi ingeniique dotes non satis possum admirari, tamen, si in proelio esset hostili manu interfectus, quia victoriae ejus quadringentorum milium sanguine hominum steterunt, minus doleam, solatiique aliquid est, quod jamjam infirma usus valetudine subitam mortem praeoptabat; fatum vero veneror, quod teste Suetonio c. 89 omnes ejus percussores ac sicarios in primis Brutum et Cassium praetores, quorum utrique Caesar maximorum beneficiorum auctor fuerat, promerita poena consecutum est. Prae ceteris Mommsen de Caesare legendus est, qui singulari arte l. l. III. c. XI. p. 442 sqq. eum depinxit, cujus tamen viri de historia Romana meritissimi verbis, quae huc pertinent rescribendis spatium obstat programmati concessum.

Nece Caesaris patrata omnes e curia fugiunt, tantaque tota Urbe et consternatio et metus cives invasit, ut domos clauderent, neque non Antonius consul metuens, ne et ipse a conjuratis interficeretur, id quod Cassius proposuerat, Brutus non concesserat, domum suam claudi jusserat. Lentulus magister equitum legionem in campum Martium educit, jussa consulis exspectans, sed frustra. Corpus Caesaris, quod in Tiberim conjici conjuratis

---

früh von seiner grossen Laufbahn durch die verrätherischen Hände unsinniger Schwärmer gerissen. Wäre es nicht für das unermessliche Reich ein Glück gewesen, wenn es Cäsar zur erblichen Monarchie umgeschaffen hätte?“ —

[1]) Cicero Philippica II, 34 rem malitiose narrat „Sedebat in Rostris collega tuus (Caesar) amictus toga purpurea, in sella aurea, coronatus; ascendis, accedis ad sellam, diadema ostendis, gemitus toto foro. Unde diadema? non enim abjectum sustuleras, sed attuleras domo meditatum et cogitatum scelus; tu diadema imponebas cum plangore populi, ille cum plausu rejiciebat.

placuerat, tres ejus fideles servi in lectica positum domum transtulerunt. Percussores autem cum gladiatoribus a Decio Bruto submissis Urbem peragrantes et libertatem recuperatam esse conclamantes non audiuntur, metuentesque ab Antonio et Lepido non minus quam a veteranis, quorum magnus numerus in Urbe esset, in Capitolium se recipiunt. Quum vero Cinna praetor et Dolabella a Caesare consul designatus, qui Idus Martias diem natalem Urbis appellatas voluit, caedem praedicarent, et plebis pars corrupta percussores in Urbem duci juberet, Cassius et Brutus animo recepto Sextum Pompejum Magni filium, adversus quem legati in Hispania bellum gerebant, expetunt. Antonius et Lepidus consilium ulciscendi Caesarem differunt propter senatum interfectoribus faventem, legatisque respondent, omnium senatorum sententias agendi normam sibi fore. Eadem nocte pecunia Caesaris et acta imperii in domum Antonii transferuntur, et testamentum illius apud Pisonem depositum subsecuto mane recitatur. Quo audito quum populus comperisset, Octavianum ex Julia Caesaris sorore nepotem adoptatum, hortos in usum populi publicatos et plebi trecenos sestertios addictos esse, Caesaris eam miserebat, et Antonii oratio funebris (cf. Dion. Cass. tom. 1. p. 340) tantopere iram in conjuratos excitavit, ut curiam, in qua Caesar interfectus erat, incenderet, corpus ejus illo loco, ubi olim regia fuerat, combureret, totam noctem ibi pervigilaret et veteranorum Caesarianorum opera decretum senatus pervinceret, quo Caesar in deorum numerum relatus est.

Eo tempore M. Antonius primum in civitate locum obtinebat. Avus ejus fuit Antonius orator, quem, quia Syllanarum erat partium, Cinna necavit. Filius illius non rerum gestarum laude clarus sed vir probus Juliam gentis Juliae ac Caesari cognatam honestissimis hujus aetatis mulieribus adnumerandam in matrimonium duxit, ex qua tres filios, Marcum, Cajum Lucium Antonios procreavit. Ejus post mortem Julia Cornelio Lentulo nupsit conjurationi Catilinariae socio, quem consularem et praetorem iterum auctoritate senatus Cicero in carcere necari jussit. Filius Juliae M. Antonius postmodo triumvir a Curione ad libidinosam atque luxuriosam vitam pellectus ducentorum quinquaginta talentorum aere alieno premebatur, mox Clodii familiaritate usus sed non ita multo post satiatus pravitate ejus in Graeciam se contulit ad artem oratoriam et corpus exercendum ac corroborandum incumbens. Dein Gabinii auspiciis in Syriam cum exercitu proficiscentis expeditioni praefectus equitum intererat, Aristobulum Judaeorum regem aliquoties superavit et devicit, neque minus rebus in Egypto bene gestis magnam fortitudinis et rei militaris laudem nactus est. Postremo quum Pompejus a nobilitate, Caesar a populo staret, Curione suasore Caesaris partibus favebat, et in castra Caesaris, cui tribunus in senatu frustra patrocinatus erat, conducto curru vehitur. In Pharsalico proelio Caesar dextro militum suorum cornu, Antonius sinistro imperabat, tantoque apud illum in honore Antonius erat, ut tribus annis post, quum Caesar ex Hispania rediret, Antonius consul obviam factus et gratulatus eodem, quo Caesar, curru in Urbem veheretur, secundo Brutus et Octavianus[1]). Atque is quidem Antonius interfecto Caesare plebi jam carissimus senatorum atque omnino optimatium, quibus suspectus adhuc erat, gratiam colligere conatur, nec frustra. Aram enim eo loco, ubi Caesar concrematus erat in honorem ipsius exstruentem quendam eaque re plebi

---

1) Plut. Anton. c. 11, *ἐτιμήθη δ' Ἀντώνιος ἐκπρεπῶς ὑπ' αὐτοῦ· κομιζόμενος γὰρ ἐπὶ ζεύγους διὰ τῆς Ἰταλίας Ἀντώνιον εἶχε μεθ' ἑαυτοῦ συνοχούμενον, ὄπισθεν δὲ καὶ Ὀκταουιανόν.*

gratissimum, percussoribus vero minacem et timendum interfici, multitudinemque hac de causa iratam et tumultuantem per milites dissipat, et deprehensos, qui cives erant, de rupe Tarpeja deturbari, servos cruci affigi jubet. Quo facto, quum percussores viderentur securitatem esse nacti, optimates cum senatu gaudebant, Antoniumque quod etiam Sextum Pompejum ex Hispania revocari atque adeo imperium maris ei tradi oportere proposuit, omni laude efferebant, suarum eum esse partium et rem publicam per Brutum maxime et Cassium firmatum iri opinantes. In ea fraude perseverans Antonius Pisistrati Atheniensium tyranni haud dissimilis a senatu petiit, ut timenti sibi a plebe satellites corporis custodiendi causa conquirere liceret. Id ubi patres concesserunt, ex veteranis fortissimos quosque et rei militaris peritissimos non milites quidem, sed centuriones elegit, electisque iis alios ejusdem ordinis sed nomine et honore tribunorum praefecit, eosque cunctos omni modo sibi obstringebat, neque minus regum, principum et civitatium gratiam parare sibi studebat. His rebus jam plurimum pollebat Antonius quum Octavianus Romam pervenit.

Gentis Octaviae, quae Velitris olim clara a Tarquinio Prisco rege inter Romanas gentes allecta esse dicitur, novissima eademque excellentissima progenies fuit Octavianus. Pater ejus C. Octavius [1]) propraetor Macedoniam sortitus justitiae laudem sibi paravit, et decedens provincia, priusquam consulatum ambire posset, in itinere repentinam mortem obiit, Atia uxore, quae Balbo et Julia C. Caesaris sorore genita erat, cum liberis, in quibus Octavianus, relicta. Atia autem ex Apolline [2]) sese Octavianum peperisse asseverabat, marito quod mireris nihil adversante nisi forte mortuo demum marito id alucinata est. Natus M. Tullio Cicerone et L. Antonio Hybrida consulibus Octavianus, quum patrem quadrimus amisisset, ab Atia matre et Philippo, cui postea nupserat, educatus est. Eum Caesar, quia progenies sibi non erat, maxime diligebat, et juvenem duodeviginti annos natum, postquam Hispaniensis militiae comitem habuit, finito eo bello Apolloniam Jonium mare adjacentem misit.

Ibi juvenis non solum ad literas incumbebat, verum etiam equitum ex Macedonia per vices missorum exercitationibus intererat, eumque non modo praefecti, sed etiam legionum tribuni haud raro conveniebant. Quis enim non avidissime quaesierit ejus gratiam, qui jam in Hispania magister equitum honorarius fuerat, et summa apud Caesarem gratia florebat utpote cognatus. Ita factum est, ut militibus cum Illyriae tum Macedoniae eorumque ducibus notus et percarus fieret. Quinque mensibus ita praeterlapsis Caesarem Romae trucidatum esse comperit, eoque nuntio mirum quantopere conflictabatur, praesertim quia ignorabat, cur et a quibus scelus commissum esset. Dubitanti igitur, an proximas legiones, quarum tribuni maxime Agrippa (cf. Vellej. Paterculus II. c. 59 sqq.) auxilium ipsi promi-

---

[1]) Cic. epistt. ad Q. fratrem I. 1, 7: „His rebus (constantia et gravitate, facilitate in audiendo, lenitate in decernendo, in satisfaciendo ac disputando diligentia) nuper C. Octavius jucundissimus fuit, apud quem primus lictor quievit, tacuit accensus; quoties quisque voluit, dixit, et quam voluit diu. Quibus ille rebus fortasse nimis lenis videretur, nisi haec lenitas illam severitatem tueretur. Cogebantur Sullani homines, quae per vim et metum abstulerant, reddere, qui in magistratibus injuriose decreverant, eodem ipsis privatis erat jure parendum; haec illius severitas acerba videretur, nisi multis condimentis humanitatis mitigaretur.

[2]) Stigmatiferum fuisse Octavianum tradit Suet. Oct. c. 80: Corpore traditur maculoso, dispersis per pectus atque alvum genitivis notis in modum et ordinem ac numerum stellarum coelestis Ursae.

serunt, imploraret, matre et inprimis Philippo vitrico dissuadentibus Romam proficiscens non ad Brundisium, cujus oppidi milites quo animo essent incertus, sed ad Lupias oppidulum propinquum appulit, et quum paulo post Brundisii testamentum comperisset, Romam contendit. Eo quum pervenisset, amicis, ne nomen Caesaris neve testamentum affectaret, cohortantibus, non obtemperavit, nefas esse dietitans, quo nomine Caesari visus esset dignus, eo semetipsum videri sibi esse indignum, seque mori malle quam non ulcisci caedem. Postridie ejus diei, quo venerat in Urbem, magno amicorum numero stipatus apud L. Antonium praetorem in foro adoptionem suam a Caesare testamento factam accipit, deinde ad fratrem ejus M. Antonium consulem, qui in Pompejanis hortis a Caesare sibi donatis versabatur, sese confert, ab eoque tandem admissus non sine libertate profitetur, quas res post necem Caesaris bene gessisse Antonius sibi videatur, quas minus recte, vel quas facere omiserit. Tu, inquit, Caesarem in oratione funebri laudavisti, id quidem bene, multitudinem vero percussoribus iratam non adjuvisti, immo oppressisti, quanquam ex munere in illos quantumvis licet invito senatu animadvertere debebas. Obtestor te, ut mutato tuo animo me juves, neve impedias, quo minus legata plebi pecunia trecentis milibus hominum sufficiens exsolvatur, ex rebus, quas in tuam domum transferendas curavisti, pretiosissimas quasque, si libet, tibi reponas quaeso. Ceterum mutuare mihi ex aerario pecuniam, quam divenditis bonis solvam. Ad quod Antonius incitatus respondit: Quoniam non imperii Caesaris heres es, quia nulli id hereditate contingere potest, nihil est, cur tibi administratae rei publicae rationem reddam.

Non minus senatui, qui percussoribus favebat, ne periculum iis immineret, metuenti suspectus quam Antonio propter testamentum invisus Octavianus in plebejorum et veteranorum gratia, qui beneficiorum a Caesare in se collatorum gratam memoriam tenebant, magnum sui praesidium habebat. Fuerunt etiam, qui Antonii dominationem aegerrime ferentes sperarent, fore ut, quo graviores essent Antonium inter et Octavianum inimicitiae et quo vehementius alter alterum insidiis peteret, tanto citius uterque perderetur et res publica restitueretur. Atque Antonius probris insectandi, cooptationem Juliae gentis inhibendi adeo modum excedebat, ut eorum, quos Octaviani callidissime misericordiam implorantis miserebat, numerus in dies cresceret, et satellitii, quod Antonius habebat, tribuni eum hortarentur, ne in gratiam cum Octaviano redire dubitaret.

Eo tempore Antonius exercitum Macedonicum in Italiam transduci cupiens a comitiis petivit, ut Gallia cisalpina proconsuli sibi daretur, quae provincia olim Caesari dominationis parandae copiam praebuerat. Nuntio allato, eas legiones irasci, quod nihil contra percussores moliretur, Antonius Brundisium ad milites se confert. Octavianus metuens, ne cum exercitu reversus ille se opprimeret, in Campaniam properavit, et veteranos a Caesare in colonias deductos ad militiam excivit, quorum exemplum alii secuti sunt, ut brevi tempore exercitum haberet milium decem, ad quos accedebant duae legiones Macedonicae, quae ab Antonio defecerant et ad Octavianum transierant. Omnibus copiis suis Albam convenire jussis Octavianus ad senatum misit literas, neque potuerunt senatores facere, quin eidem licet inviti eodemque modo congratularentur, quem admodum paulo ante Antonio, qui Brundisio redux Tiburi cum exercitu versabatur, universus senatus et equitum pars maxima praesto erant honorificentissime gratulantes. Metu id factum esse facile potest intelligi, exercitum enim in potestate sua senatus non habebat, ob eamque causam timendam erat, ne qui dux cum exercitu infensus Urbem intrans infestaret. Interim Antonius,

cui a populo Gallia cisalpina obvenerat, contra Decimum Brutum[1]), qui eidem provinciae praeerat, Ariminum petivit, Decimumque admonet, ut Gallia discederet. Is autem simulans, ex senatus auctoritate in Italiam velle se proficisci, quum Mutinam pervenisset, ne omnino a Gallia excluderetur, id oppidum diu obsessum iri ab Antonio opinans munitionibus firmaverat. Romae novi consules Hirtius et Pansa senatum convocant atque Cicero, qui etiamnum summa auctoritate utebatur, Antonium, quia invito senatu petiisset, hostem judicandum esse censuit. Id quanquam non perfecit, tamen Decimus laudatur, quod non cessisset, bellumque contra Antonium gerere consules una cum Octaviano jubentur, eique vixdum viginti annos nato summi honores a senatu decernuntur, ut pari cum consulibus imperio suis copiis praeesset, statua equestris ei poneretur, posthac sententias inter consulares diceret, jus petendi consulatus decem annis ante legitimam aetatem haberet, denique ut duabus legionibus id, quod Octavianus promisisset, ex publico daretur.

Quum nunciatum esset, Decimum fame premi, Hirtius cum Octaviano metuentes, ne ille Antonio ipsum obsidenti se dederet, magnis itineribus Mutinam contendunt; proelium vero committere non audent, priusquam Pansa, qui per Italiam auxilia conquirebat, pervenisset. Is autem ex itinere proelium cum Antonio committere coactus, quum utrimque veterani acerrime pugnarent, magnam suorum partem militum amisit, ipse vulneratus est, quum Hirtius, qui integras copias suas adduxit et Antonianos tanquam victores redeuntes in castra redintegrato proelio adoritur, magnaque caede facta devincit, victoria autem ducis fortissime pugnantis vita stetit. Octavianus, qui eidem proelio intererat, Floro monente etiam manu pulcher apparuit, i. e. magnum virtutis documentum edidit, aquilam enim a moriente signifero traditam sibi vulneratus humeris suis in castra retulit. Hirtii et Pansae ex vulneribus Bononiae haud multo post defuncti corpora Romam missa publica sepultura honorata sunt, Octaviani vero adeo nulla mentio facta est, imo tanta fuit contemptio, ut triumphus, quem sibi petiit, Decimo licet illius beneficio viventi decerneretur, exercitusque consulum eidem tanquam imperatori belli contra Antonium gerendi attribui placeret, id quod milites grati non tulerunt in Octaviani fide permanentes. Hoc est illud tempus, quo Cicero[2]) infinito amore Pompejanarum partium Caesarem tollendum et laudandum censebat, cum aliud diceret, aliud intelligi vellet, quo sensu nos Germani fere dicamus: Man muss den Cäsar loben und hochnehmen.

Post pugnam Mutinensem Antonius cum copiis, quas jam habebat, tres legiones a Ventidio adductas conjunxit, et superatis Alpibus cum Lepido, qui in Hispaniam proficiscens tum in Gallia versabatur, societatem iniit, ejusque septem legiones Antonio, quem meliorem ducem quam Lepidum existimarent, ita addicti erant, ut nomine essent Lepidi, re autem vera illius milites[3]). Ea autem societas magnam partem Octaviano debebatur. Is

---

1) Copiosus de hoc bello est Dio Cassius l. l. ME. c. 12 sqq. cf. etiam Vellejum Patereulum II. 61 et Flor. IV. 4. Plutarch. Anton. c. 17.

2) Locus exstat Cic. epistt. ad diversos XI, 20: Labeo Segulius narravit mihi, apud Caesarem (Octavianum) se fuisse, multumque sermonem de te habitum esse, ipsum Caesarem nihil sane de te questum, nisi quod diceret, te dixisse, laudandum adolescentem, ornandum tollendum; se non esse commissurum, ut tolli possit.

3) Plut. Ant. c. 18: *Ἀντώνιος εἰςελθὼν* (in castra Lepidi) *καὶ κρατήσας ἁπάντων ἡμερώτατα Λεπίδῳ προςηνέχθη· πατέρα γὰρ προςηγόρευσεν αὐτὸν ἀσπασάμενος, καὶ τῷ μὲν ἔργῳ πάντων αὐτὸς ἦν κύριος, ἐκείνῳ δ' ὄνομα καὶ τιμὴν αὐτοκράτορος διετέλει φυλάττων.* — Cf. Vellej. Pater. II, 63.

enim Lepido et Pisoni, cui Hispania ulterior obtigerat, per literas explicuit, quibus injuriis senatus se affecisset, eumque non sibi soli, sed omnibus Caesarianis esse inimicissimum, suasitque iis, ut suae securitatis causa Antonio se jungerent, ejusque se quoque conjunctionis velle fieri participem significaverat. Plancus vero, qui ulteriori Galliae cum tribus legionibus praeerat, aliquamdiu haesitans D. Bruto se adjunxerat, isque nuntius senatui fuit jucundissimus auditu reputanti, quatuor provincias easque validissimas, utramque Galliam, Macedoniam, Syriam firmissimum esse praesidium, quo minus Pompejanis quidquam esset a Caesarianis timendum. Consulatum petiturus Caesar militum suorum concione advocata injurias a senatu identidem sibi illatas percensens quum iram totius exercitus inflammasset, confestim tribuni Romam mittuntur, qui militum nomine consulatum ei peterent. Cunctanti senatui Cornelius princeps legationis rejecto sagulo ostendens gladii capulum: Hoc, inquit, faciet, si vos non feceritis. Interea Octavianus castris e Gallia motis Rubiconem transit, et cum octo legionum atque equitum altera parte, quod erat robur copiarum magnis itineribus Romam contendit, alteram lente se sequi jubet. Ejus rei nuntio allato ingens Romae timor atque trepidatio coorta sunt et quum exercitus ad urbem appareret, augebantur. Cicero, qui ante vel in foro vel in curia quotidie orationes habebat, nusquam apparuit, quoad Octavianum modo consulatum petere, militesque, quos in campo Martio collocaverat, nihil hostile facere intellexisset. Intrantem in Urbem omnium ordinum cives consalutaverunt, obviam ierunt et mater et soror et Vestales, in quarum templo illae aliquamdiu fuerant absconditae. Tres autem illae legiones, quarum unam Pansa consul praesidio Urbis reliquerat, et duae ex Africa nuperrime arcessitae, in quibus senatus non mediocrem auxilii ac salutis spem posuerat, ad Octavianum transierunt. Is, donec et ipse et Pedius qui hereditatem suam olim Octaviano reddiderat, comitiis creati essent consules, ex Urbe excessit, creatus autem singulari pompa in Urbem revertit, eodemque die vicesimum aetatis annum implevit. Consilium consulari potestate agendi assecutus Octavianus tamen Brutum et Cassium, qui viginti legionibus praeerant, praepollentes metuebat.

In Syria enim Jul. Caesar Bassum cum una legione reliquerat, quae S. Julium adolescentem Julii Caesaris consanguineum, quod in Bassum ducem atque legionem ejus contumeliose se gerebat praefectus Syriae, interfecit. Contra eam legionem Julius Caesar Statium Murcum cum tribus legionibus misit, qui quum nihil perficeret, Marcum ex Bithynia trium legionum ducem in auxilium vocavit. A sex legionibus igitur duae Bassi legiones, alteram enim ipse conscripserat, obsidentur, quum Cassius advenit, eique non solum obsessae duae, sed etiam obsidentes sex legiones sese dediderunt senatus auctoritate commotae. Dolabella Ciceronis gener, qui Trebonium unum ex Julii Caesaris percussoribus posthac praetorem Asiae amicitiae simulatione interfecerat, et ipse proconsul Syriae ab Cassio Laodiceae obsessus cum exercitu suo et captus ad ictum servo suo cervicem dedit.

In Macedonia C. Antonius non dubitans, quin una legione, quam haberet, Bruto a senatu misso par non esset, se dedidit et honorifice acceptus est. Nihilo tamen minus compluries insidias struentem Brutus quamvis miti ingenio non potuit, quin interfici juberet. Ita eodem fere tempore Decimus Brutus Marci frater ab Antonio in Gallia, et C. Antonius Marci Antonii frater a Marco Bruto interfecti sunt. Idem Marcus Brutus, quum ex Macedonibus duas legiones conscripsisset, et Ventidio circa Dyrrhachium septem legiones volentes extorsisset, fere decem legionibus erat validus.

Interea Pedius Octaviani collega ex voluntate absentis ejus legem tulerat, ut omnibus,

qui Julium Caesarem necassent, aqua et igni interdiceretur, idemque Octaviano auctore id studuit, ut inter Antonium, Lepidum et Octavianum potentiae societas iniretur. Convenerunt igitur inter Perusiam et Bononiam ita in parvam insulam, ut a quinis Antonii et Octaviani legionibus possent conspici, Lepidus, quem divitiarum cupido, Antonius, quem ultionis de his, qui se hostem judicassent, incendebat, Octavianus, quem inultus pater Julius Caesar et Manibus ejus graves Cassius et Brutus agitabant. Ibi per biduum continuum a mane ad vesperam sedentes, inter Antonium et Lepidum Octavianus medius haec de communi sententia statuerunt, ut Octavianus consulatum Ventidio Antonii familiari cederet, ut novus magistratus Triumvirorum crearetur, cumque ipsi per quinquennium gererent. Provincias ita partiti sunt, ut Antonius universam Galliam, Lepidus Hispaniam, Octavianus Africam cum Sardinia, Corsica finitimisque insulis haberet. Lepido praesidium Urbis cum tribus ex suis legionibus committi Hispaniam provinciam ejus per legatos administrari, septem vero reliquas ipsius legiones Antonio et Octaviano attribui, eosque denis legionibus contra Brutum et Cassium proficisci placuit. Omnium eorum, quos propter potentiam timebant, aut propter simultates oderant, aut quorum divitias appetebant, nomina tabulis publice expositis inscripta sunt, eosque omnes interfici voluerunt. Denique militibus, quo alacriores fierent ad pugnandum et trucidandum, duodeviginti urbes Italiae cum agris et aedificiis coloniarum loco praemia futurae victoriae promiserunt.

Proscriptiones autem istae Syllanas numero longe superaverunt, nam centum quinquaginta senatores, duo milia equitum et permulti obscurorum hominum alii propter alias causas proscripti a militibus trucidati sunt: Tribus diebus continuis uno quoque die unus triumvirorum seorsim, primo die Lepidus, altero Antonius, tertio Octavianus in Urbem ingressi sunt cum sua quisque cohorte praetoria et singulis legionibus. Lepidus Lucium Paulum [1]) suum fratrem, Antonius Lucium Caesarem avunculum proscripsit, Octavianus percussoribus patris contentus fuit. Haec nisi multa fuisset, etiam justa caedes haberetur. In proscriptorum numero fuerunt etiam M. Tullius Cicero cum filio et Quinto fratre ejusque filio, de quibus unicus ex caede Marci filius. Is enim a patre ad Brutum missus eoque devicto ad Sextum Pompejum se contulit, neque sine laude meruit. Postmodo ab Octaviano in honore habebatur et consul factus Romam missus est et primus ibi concionem de Antonii ad Actium clade certiorem fecit. Nota ita patri Ciceroni fortuna arrisit. Fuga enim frustra tentata quum servi eum lecticae impositum iterum ad mare deferre conarentur, Laenati centurioni, num Cicero in propinquo vivus esset sciscitanti sutor quidam prodidit. Laenas protractum e lectica caput ter ictu vulneratum velut serra praesecuit, manumque dextram, qua Philippicas scripsisset, abscidit [2]). Quod Antonius, quum Ciceronis caput et manum conspicaretur vehementer gaudebat, minus mirabere, quam quod Laenas, qui olim ejusdem Ciceronis patrocinio usus causam vicerat, tantum scelus committere non perhorruit.

---

[1]) Dio Cassius MZ, 8. *Λέπιδος τῷ τε ἀδελφῷ τῷ Παύλῳ ἐς Μίλητον ἐκδρᾶναι ἐπέτρεψε, καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους οὐκ ἀπαραίτητος ἦν. — Ὁ Ἀντώνιος τὸν θεῖον, πολλὰ τῆς μητρὸς τῆς ἑαυτοῦ τῆς Ἰουλίας ἱκετευσάσης ἀφῆκεν.*

[2]) Dio Cassius ibidem: *Φουλουία ἡ Ἀντωνίου γυνὴ ἔς τε τὰς χεῖρας αὐτὴν (τὴν χεῖρα) πρὶν ἀποκομισθῆναι ἐδέξατο καὶ ἐμπικραναμένη οἱ καὶ ἐμπτύσασα ἐπί τε τὰ γόνατα ἐπέθηκε καὶ τὸ στόμα διοίξασα τήν τε γλῶσσαν ἐξείλκυσε, καὶ ταῖς βελόναις, αἷς ἐς τὴν κεφαλὴν ἐχρῆτο κατεκέντησε, πολλὰ ἅμα καὶ μιαρὰ προςεπισκώπτουσα.*

Fulviae, quae Antonii uxor erat, viraginis unum facinus commemorandum est, quo facilius intelligatur, quam late istae proscriptiones patuerint. Rufus quidam amplam ac pulcherrimam domum vicinam Fulviae habebat, cui emere eam cupienti non vendidit possessor. Postea abs timente, ne et ipse proscriberetur, dono oblatam noluit accipere. Nequissima mulier, id quod timebat possessor, facile effecit, ut proscriberetur et caput ejus decisum Antonio marito misit. Id caput ab Antonio remissum, hanc rem nihil ad se pertinere dicente, infamis ista Fulvia ante domum quondam concupitam proponendum curavit.

De his temporibus, quae non minus gravia secuta sunt, Vellej. Paterc. II, 67 monet. Hujus totius temporis fortunam ne deflere quidem quisquam satis digne potest. Id tamen notandum est, fuisse in proscriptos uxorum fidem summam, libertorum mediam, servorum aliquam, filiorum (heredum) nullam. Proscriptionum atrocitate quodammodo satiati, Lepido ut convenerat cum tribus legionibus ad Urbis praesidium relicto Antonius cum Octaviano contra Brutum et Cassium exercitus suos in Macedoniam trajecerunt et apud Philippos oppidum conflixerunt. Contra Cassium Antonius pugnans non solum castra ejus cepit, sed etiam totum adversarii exercitum devicit ac profligavit, Octaviani vero castra a Bruto capta sunt, victoriam illi proelio error dedit. Nam Cassius ex sua fortuna eventum Bruti aestimans et quum Titinius centurio atque amicus Cassii ad cognoscendum proelii statum ab ipso missus non rediret, milites vero, qui appropinquantes sibi accurrebant, quia pulvere et nocte ingruente nec facies nec signa denotari poterant, hostium agmen esse suspicatus, Pindaro armigero suo cervicem libenter extentam praebuit et natali suo obiit. Titinius quum victorem Brutum esse tandem nuntiaturus imperatorem suum Cassium humi jacentem videret, sequar, inquit, eum et in gladium incubuit. Postero die, quum Brutus vix quatuor legiones secum haberet, imparem se adversariis esse intelligens a Stratone Aegeate familiari impetravit, ut manum morituro porrigeret, gladium in pectus ejus infigens. Memoriae traditur, Bruto cum exercitu ex Asia in Europam proficiscenti atram imaginem in praetorio noctu adstitisse et interrogatam, quid vellet, responso dato „ad Philippos te videbo“ evanuisse, eandemque nocte, quae proelium Philippensi antecedebat proxima, Bruto, quum illato lumine ex more aliqua secum agitaret, se obtulisse iterum et quae esset, interrogatam atque „tuus malus genius“ respondentem sub oculis mirantis evanuisse.

Antonius, quem simulatque negotiis publicis liber erat, propter dissolutam vitam, quippe qui cum potatoribus, aleatoribus, mimis utriusque generis atque aliis hominibus perditis versaretur, cives frugi ac modesti oderant, praesertim quum domum olim Pompeji modestam nunc flagitiis repletam et ob id ipsum clausam viderent, is, inquam, Antonius cum res postulabat, strenuum se et maxime in bello bonum ducem praestabat, eamque laudem et hoc bello contra Brutum et Cassium gesto sibi paravit, ejus enim solius arte imperatoria parta est victoria. Octaviani vero nulla fuit res magni momenti gesta, crudelitatis [1]) documenta satis multa sunt, saevaeque ultionis a splendidissimo quoque captivo exercitae. Caput Bruti Romam missum statuae Julii Caesaris submitti jussit. Contra Antonius corpus Bruti pulcherrima veste purpurea involutum cremavit et reliquias matri ejus misit Serviliae.

Finito eo bello Antonius in Asiam se confert pecunias exacturus, quas militibus persolvere promiserat, et in Cilicia Cleopatrae, quae excusandi sui causa ad eum venerat, amore captus mox eam sequitur in Africam. Ejus in Italiam reditum ut perficeret Fulvia

---

1) Longe diversa est Dionis Cassii MZ 7, de Octaviano et Antonio sententia.

uxor nihil muliebre praeter corpus gerens, tanto magis autem imperiosa et Octaviani, qui in Italio remanserat, auctoritati obtrectans, quin etiam imperatricem eo usque agens, ut haud raro gladio cincta tesseram militibus daret, in eorumque concione diceret, omnibus artibus utebatur, ut L. Antonium, qui tum Romae consul erat, ad bellum cum Octaviano gerendum incitaret. Id consecuta est, quia L. Antonius licet triumviri frater cum omnino triumvirorum dominationi tum maxime Octaviano infensus erat. Eo autem bello ab Octaviano in oppidum Perusiam compulsus atque obsessus, quia fame premebatur, se dedidit. Marci triumviri ratione habita Octavianus non solum veniam dedit, verum etiam Hispaniae eum praefecit adjunctis tamen legatis, qui animadvertentes, quominus res novas moliretur, impedirent. Crudelitatem Octaviani Suetonius c. 15 verbis „Perusia capta in plurimos animadvertit, orare veniam vel excusare se conantibus una voce occurens „moriendum esse“ Vellej. Paterc. II, 74 rem non diffitetur, sed verbis „in Perusinos magis ira militum quam voluntate saevitum ducis“ extenuat. Fulvia fugiens Athenas in morbum incidit neque diu post obiit.

Sex. Pompejus, M. Pompeji filius, qui majore natu fratre post proelium ad Mundam interfecto fugitivus latrocinia in Hispania exercebat, mox compluribus ipsi adjunctis, postquam Pompeji M. filium se declarasset, per totam Hispaniam inclaruit, et eodem tempore, quo Macedonia et Syria Bruto et Cassio decretae sunt a senatu, qui paene totus a Pompejanis partibus stabat, Sex. Pompejo ex Hispania revoto et in paterna bona restituto maris imperium defertur, Siciliaque potitus jam classe et exercitu validus Sardiniam et Corsicam occupat Urbemque fame premit totamque Italiae oram infestat, ut flagitante populo Octavianus et Antonius pacem cum Sexto inirent, qua Sicilia et Achaja ei conceduntur. Libo, cujus filia Sexto nupta erat, Scriboniam sororem Octaviano in matrimonium dedit, Octavianique sororem Octaviam quae Marcello nupta fuerat, post obitum ejus Antonius in Fulviae locum mortuae uxorem ducit. Pacis ad Puteolos initae conditiones Romam mittuntur asservandae Vestalibus. Ad eam pacem celebrandam institutum convivium eo maxime notatu dignum est, quia, quamvis inter omnes sinceram amicitiam exstitisse putares, tamen adeo suspecta ea fuit, convivae vestibus accincti essent pugionibus. Sextus deinde in Siciliam, Octavianus et Antonius Romam abeunt, ubi nuptiae celebratae magno populum gaudio afficiunt, quia diuturnitatem pacis fore arbitratus est. Non diu moratus ibi Antonius et ad bellum Parthicum profecturus Athenis cum Octavia uxore degebat privatus et amori deditus, quemadmodum olim Cleopatrae in Egypto amans, vir natura pronior ad mulierum amores.

Octavianus Sexto invidens imperium oras Italiae praesidiis communit, classes Romae et Ravennae Agrippa auctore aedificavit, bellumque dissuadente Antonio parat Sexto, qui quanquam aliquoties secundo Marte pugnavit, sed victoria uti nesciebat, ab Agrippa, postquam pedites illius atque equites ad Octavianum transierunt, victus ad Antonium fugit, in eumque perfidus, quia eodem tempore etiam Parthos foedere et societate sibi per legatos adjungere conabatur, Mileti a Titio quadraginta annos natus interficitur.

Lepidum, cui neglecto et contempto Octavianus et Antonius duumviri Africam concesserant, in auxilium arcessitum contra Sextum Octavianus quum animadvertisset, Siciliae esse appetentem audacter opprimit. Magna enim militum Lepidi, quem propter inertiam et ignaviam contemnebant, corrupta multitudine solus castra ejus intrat et facile perficit, ut legiones Lepidi ad se transirent; ipsum utpote pontificem non decere imperium et exercitus habere judicans Circejos in perpetuum relegavit.

Interea dum Octavianus bellum contra Sextum rursus gerit, Antonius cum Octavia uxore Athenis ut supra commemoravi, per hiemem versatus contra Parthos, qui Labieno et Pacoro Parthorum rege ducibus praesidia Antonii Romana disjecerant, Ventidium praemisit, isque incredibili fere felicitate hanc suscepit expeditionem. Nam non modo Labienum, istius Labieni, qui a Caesare ad Pompejum transierat, post pugnam Pharsalicam in Africam se contulerat et postremo in Hispania perierat, filium superat ipsumque interficit, sed etiam Pacori, qui fortiter pugnans in prima acie cecidit, exercitum adeo devincit, ut totam regionem inter Orontem et Euphratem sitam copiis suis teneret, Syriamque reciperet. Has res splendidissime gestas invidens Ventidio Antonius ipse cum exercitu in Asiam proficiscitur, et Antiocho Commageno, quem ad deditionem fere Ventidius compulerat, trecentis talentis imperatis pacem concedit, eaque re contentus Athenas revertitur. Ventidium Romam mittit triumphatum, eumque triumphum cives unicum de Parthis actum viderunt, consilio autem illius nunquam posthac utebatur, sed magno sui ipsius damno. Nam cum tredecim legionibus in Parthos impetu facto duas confestim legiones amisit, et postea ardores per Mediam et nives per Cappadociam perniciosa et pestifera non minus quam proelia caedis ac necis plena effecerunt, ut tertia parte militum amissa in Syriam profugeret, eam fugam stolide victoriam appellans. Alexandriae triumpho de Artavasde Armeniae rege habito, quem tertia aestate reversus in Armeniam fraude deceptum aureis catenis vinxerat, in concione Cleopatram, quae cum liberis aderat, reginam regum et Ptolemaeum, quod esset Cleopatrae et Julii Caesaris filius, cognomine Caesarionem regem regum appellavit, Octaviani, qui adoptivus tantum filius Caesaris esset, dignitati obtrectaturus, deditque illis Egyptum et Cyprum, alteri Ptolemaeo Syriam, Cleopatrae filiae Cyrenaicam, Alexandro Armeniam, liberis ex Cleopatra a se procreatis. Amor Cleopatrae adeo mentis aciem Antonii praestrinxerat, ut redimitus hederis coronaque aurea et thyrsum tenens curru veheretur Alexandriae, Liberumque patrem se appellari jussit. Octavia ex paucis quae tum bonae erant, praestantissima Antonii etiamnum amans ad conjugialem fidem eum rediturum sperans a fratre petiit, ut maritum convenire sibi liceret. Permisit id Octavianus non tam gratificaturus sorori, sed ut, quantopere Octavia propter Cleopatram contemneretur, declaraturus populi adversus Antonium excitaret odium. Quod speraverat, evenit. Octaviae enim Athenis commoranti Antonius scripsit, ut ibi maneret. Intelligens quidem sese despici, tamen rescripsit, epistola Nigio cuidam Antonii amico data, qui ex Antonio quaereret, quo dona, vestes imperatorias, pecunias, equos, duo milia militum bene adornatorum, ipsi dicata mitteret. Quod ubi Cleopatra resciit, artibus quas habebat plurimas, maxime tristitia et lacrimis simulatis devinctum tenuit Antonium.

Octavianus cum in senatu tum in concione querebatur, quod Antonius Egyptum ipsi non attributam teneret, Sextum interfecisset, populus Romanus propter captum Armenium male audiret, maxime in Cleopatram populo invisam invehebatur. Antonius vero per literas ad senatum missas Octaviano exprobrat, quod Lepidum et Sextum imperiis, exercitibus ac terris, quae fuissent iis concessae, exuisset, dimidiamque partem Italiae exercitumque, qui ibi stativa haberent, ab eo expostulavit. Jam non amplius dubium erat, quin populi Romani imperio ac majestate subversa inter Octavianum et Antonium, qui potentiam inter se partiti erant, dissensionibus ortis atque auctis necessario bellum oriretur, finitoque eo bello totum imperium Romanum in unius futurum esset potestate. Octavianum fore eum, jam diu ante initium belli pro explorato habebatur.

Quemadmodum Alexandriae erant, qui Octaviano favebant, ita et Romae multi admodum Antonianis partibus studebant. Itaque accidit, ut ambo illius temporis consules Domitius et Sosius Antonianam rem foverent, eamque Sosius adeo in senatu defenderet, Octavianum impugnans, qui eodem fere tempore, quo Antonius spreta Octavia in amore Cleopatrae deperibat, cum Scribonia quam nuptam ante duobus consularibus et ex altero etiam matrem duxerat, divortium fecit pertaesus morum ejus perversitatem, ac statim Liviam Drusillam matrimonio Tib. Neronis et quidem praegnantem abduxit — Octavianus in famam suam incurri aegre ferens Roma relicta aliquamdiu peregre degebat, consules autem clam ad Antonium fugerunt, eorumque alii cum senatores tum equites secuti sunt exemplum. Octaviano vero plurimum conduxit, quod Titius et Plancus, qui summo in honore apud Antonium atque consiliorum ejus erant conscii, ad Octavianum defecerunt propter Cleopatram maxime indignabundi. Testamento enim Antonius constituerat, ut Alexandriae sepeliretur, et suum atque Cleopatrae sepulcrum juxta essent. Id testamentum, quod Titius et Plancus obsignatum a se affirmabant, ab Octaviano resignatum (cf. Plutarch. Ant. c. 58) in senatu et in concione recitari jussum, omnium indignationem commovit, neque dubitatum est, quin Romam Cleopatrae Antonius donaturus, imperiumque Alexandriam translaturus fuisset.

Itaque bellum contra Antonium reginae indicitur, quum sciretur, fore ut Antonius Cleopatrae causam non desereret. Juventus utrimque ad arma cogebatur, pecuniae exigebantur, apparatus belli nunquam ante tantus fuerat. Octaviano Gallia, Hispania, Illyricum, pars Libyae, Italia, Sicilia, Sardinia, Corsica aliae eis adjacentes insulae subditae erant, navium ejus longarum praeter onerarias, numerus ducentae quinquaginta, militum octoginta milia, equitum milia duodecim. Antonius Asiae minoris, Thraciae, Macedoniae, Graeciae, Egypti, Cyrenaicae et his terris adjacentium insularum imperium tenebat, praeterea omnes illarum regionum reges ac dynastae, qui ad populi Romani societatem atque amicitiam se applicabant, ab eo steterunt, habuitque octingentas naves in iis quingentas longas, militum centum milia, equitum duodecim milia. Et Antonius et Octavianus orationibus ad milites habitis utrique adversarium detrahentes suarum fore partium victoriam demonstrarunt, Antonius etiam promisit duobus post victoriam partam mensibus potestatem suam senatui se populoque redditurum.

Proximo anno, postquam minoribus certaminibus inter Octavianam et Antonianam classem dimicabatur, de summa rerum proelium navale in sinu Ambracio commissum est, quo Agrippa toti classi Octavianae praefectus splendidam de Antoniana victoriam retulit. Atrox fuit proelium et diu anceps, quoad ignibus, qui Octaviani jussu ex castris allati erant, injectis maxima pars Antonianae classis concremata est. Cleopatra, quum satis diu ancipite Marte pugnatum esset, morae impatiens ab aperto mari, unde proelium inspectaverat, secundo vento orto fugae suis signum dedit et Alexandriam petiit. Antonius, qui fugientis reginae quam pugnantis militis comes esse maluit eam secuturus et compluribus terris pererratis tandem Alexandriae a Cleopatra in regia receptus est. Antonianorum non amplius milia quinque perierunt, naves captae sunt trecentae. Militum plerisque, quum Antonium fugisse audivissent, credibile non est visum, undeviginti legiones equitumque duodecim milia ab eo deserta esse, qui multas fortunae vicissitudines expertus esset iisque assuefactus. Desiderantes mox affore eum sperabant, septemque dies fiducia pleni ad litus perstabant, neque prius quam pedestrium copiarum dux Canidius noctu aufugit, ad Octavianum transierunt.

Illud summi discriminis proelium postridie Calendas Septembres commissum fuit initium principatus. Octavianus in Asiam se contulit, rebusque ibi constitutis Romam rediens quum Brundisium appulisset, senatores, equites aliique multi gratulaturi illuc convenerunt. Tricesimo die postquam Romam venit, Octaviano rursus in Asiam profecto Cleopatra clam Antonio aureum sceptrum, auream coronam sellamque auream misit. Alexandriam quum venisset et Egyptiorum classis ad eum transiisset, Antonius de morte sibi consciscenda cogitavit et Cleopatra iram ejus quasi proditi a se metuens in monumentem sepulcrale, ubi thesauri erant, abscondita latebat et per servas, quas secum duxerat mortuam se esse diffamavit, quo audito Antonius plagam sibi inflixit et moribundus ad eam defertur. Cleopatram ne manus sibi afferret metuens Octavianus, quia triumpho eam volebat servatam, in regiam reduci jussit et custode dato ad ipsam salutandi causa venturum se promisit. Matutina veste induta et lecto insidens Octavianum venientem salutat, Caesaris literas sibi scriptas ostendit et osculatur, sortem suam, quod superstes illi esset queritur, sermonique ac dolori ejus licet postremo ad ipsius pedes provolutae Octavianus nihil aliud quam bono animo esse inserit. Spem frustratam esse illa intelligens, postquam custodem parumper ablegavit, mortem sibi dedit, quo modo, non satis liquet, plerique tamen aspide ad corpus admota ejusque morsu solutam eam esse affirmant. Caesarionem, quem ex Caesare Cleopatra se concepisse praedicavit, et paulo ante Antonium adolescentem, quominus aliquando novis rebus studerent prohibiturus Octavianus interfici jussit.

Quantum fuerit Octaviani, postquam Romam rediit, colendi atque observandi studium Vellej. Paterc. II. 89 exponit. A senatu triumphus cum supplicationibus, arcus triumphales alter Brundisii, alter Romae in foro, solemnia quinquennalia potestas tribunicia in perpetuum aliique honores amplissimi decreti sunt. Ipse posito triumviri nomine, dictatoris pertinaciter spreto, consulem se ferens et ad tuendam plebem tribunicio jure contentus, ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit (cf. Tacit. annall. I. 2) insurgere paullatim, munia senatus, magistratuum, legum in se trahere, nullo adversante. Janum Quirinum brevi temporis spatio, terra marique pace parta ter clausit. De reddenda republica bis cogitasse dicitur, et Agrippa ac Maecenate in consilium adhibitis Agrippam quidem, qui libere et amice abdicationem principatus suasit, laudans Maecenatis sententiam, ut summam rerum teneret, non minus callidam quam civitati saluberrimam anteposuit.

Leges retractavit et quasdam ex integro sanxit, ut sumptuariam, de adulteriis et de pudicitia, de ambitu, de maritandis ordinibus. Olim quum Octavianus in concionem populi venisset solemnia celebrantis, eoque salutato animadvertisset, equites id maxime eniti, ut lex de maritando abrogaretur, convocari mox eos jussit, et iis, qui in matrimonio erant, collaudatis ad eos, qui non erant maritati, conversus hanc fere orationem habuit, in caelibatum invectus: Subit animum meum dubitatio, quo nomine vos denotem. Viros? at nullum virorum munus praestatis. Cives? at quantum in vobis, civitatem perditis. Romanos? at id agitis, ut nomen dissolvatur. Profecto qui sitis et quo tandem nomine appellari vobis libeat, mirum mihi videtur. Vos neque deorum providentiae neque majorum curae ratione habita hoc totum genus nostrum ad nihilum redigere et prorsus mortale reddere totamque Romanorum gentem perdere atque abolere optatis. Quid enim humani generis supersit, si et alii omnes idem atque vos faciant? Quodsi vero alii vos non aemulantur, sequitur ut propter id ipsum in vos odium conjiciant, quia vos negligitis, ad quod alii animum advertunt, et quia eam vivendi rationem initis, quam si alii imitentur, omnes perituri sint. Ac

vos estis homicidae, quia omnino non procreatis, quos a vobis procreari oportebat; impii estis in majores vestros, quorum genus deletis atque naturam humanam depravatis; civitatem solvitis legibus non obtemperantes, patriam proditis, quippe quam vacuam ab hominibus reddatis, etenim non aedes, non porticus non fora sunt urbs patria: sed homines. Mementote etiam, quantopere Romulus et qui post eum fuerunt Romani vobis irascantur. An virginum Vestalium exemplum secuturi cupitis conjugii expertes esse? Nihil moror, modo eadem vos, qua Vestales, poena afficiamini laesa castitate.

Sunt fortasse, qui aegre ferant, quod severiore apud vos oratione utor. At vestrum nemo ignorat, nihil me inexpertum reliquisse, imo omnibus et lenioribus et acerbioribus remediis caelibatui occurrisse, vos vero omnia ea neglexisse, perversa ut opinor cogitatione ductos, vitam sine uxore ac liberis esse expeditam ideoque praeferendam. Ea autem vita et latronum est atque bestiarum, quia non propterea caelibatu laetamini, ut sine mulieribus degatis, quam ut halucinari et lascivire vobis liceat; quotus quisque enim vestrum solus vel coenat vel aliud quid agit?

Sunt sane conjugio adjuncta quaedam molesta, sed compensantes, et meliora et plura et magis necessaria in matrimonio esse quam in isto caelibatu vestro facile reperietis. Praeterea bene scitis, hominum plerosque partim morbis partim bellis perire, et uniuscujusque boni civis esse, ut eorum qui supersunt numerum suppleat.

Quibus de causis insania hac vestra desistite, mutate et emendate istam vivendi rationem atque Ego vobis ero bene animatus et bene affectus Augustus.